

defecit, ut tandem intra unius Abrahami familiam ea contineretur. Jam quando tempore Ahasi regis decem tribus Israeliticæ sacris idololatricis a Jeroboam in vectis mordicus inhæserunt, Iudæi vero sacrificia statuta & solennia omittendo, altaria removendo, templum ipsum ocludendo, omnem veri Numinis non modo cultum, sed sensum etiam exuerunt, vel quando, Christo in terris commorante, Iudæi, inter quos solos dabatur Ecclesia, mysterium Trinitatis ignorarunt, Messia regnum quoddam terrestre, mundanum, ac visibile expectarunt, justitiam ex Operibus quæsiverunt, ad hypocrisin & speciem externam cuncta composuerunt, traditionibus denique humanis omnia impleverunt, annon tota, quæ videri poterat, Ecclesia, etiam in fundamento, erravit?

§. XXI. Interim II.) etiam illud adjicimus, *quod error in fundamento commissus ad omnia universalis Ecclesie visibilis membra extendi non debeat. Latet enim Ecclesia invisibilis, in visibili.* Si proinde error fundamentalis ad omnia hujus membra extenderetur, fieri non posset, quin ipsa quoque Ecclesia *invisibilis* universe sumpta, totusque adeo *Electorum* cœtus errorem in fundamento conciperet. Id quod est falsum. Negat enim Dominus, seduci posse Electos *Matth. XXIV, 24.* Seducerentur autem omnino, si errores in fundamento admitterent. Tum vero si ad omnia visibilis Ecclesie membra dimanaret error, inferorum portæ prævalerent adversus eam *Matth. XVI, 8.* Quapropter utut videantur aliquando hi aut illi errores totam inundare Ecclesiam, nemini tamen dubium esse debet, quin hinc inde reliqui maneant nonnulli, utut numero pauci, qui perseverent in fide, hujusque fundamentum sancte custodiant, cujus rei exempla, tempore nati Servatoris, in *Zacharia, Simeone, Hanna, & aliis,* observamus.

§. XXII.